



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De præparatione ad Eucharistiam dumenda[m]. tit. 101

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

rum Ecclesiæ Catholicæ, vt sicut multorum grano-
rum quodlibet suam farinam confert, & fit vna fari-
na, & vnus panis, & multi racemi suum mustum, &
fit vnus potus: Sic omnes nos Catholici efficitur
vnus panis, & vnum corpus, quotquot de vno calice
& vno pane participamus, 1. Cor. 10. Hęc est commu-
nio sanctorum, in qua quisq; alterius particeps dici-
tur bonorum. Sic oratio & elemosyna tua, mea est:
& mea, tua.

Quartus fructus est confessio publica fidei coram
tota Ecclesia, scilicet, quod nõ bibis de calice infide-
liũ aut demoniorum, neq; socius illorum es, 1. Cor.
10. Et hęc confessio etiam suum habet præmiũ: Rom.
10. Corde creditur, &c. sic per hanc communionẽ te-
stamur nos credere in Christum, & nõ esse socios in-
fidelium & demoniorum.

DE PRÆPARATIONE AD

Eucharistiam sumendam.

TITVLVS CI.

NOtandum primò, quod iuuentus ma-
ximè volens communicare, tria scire
debet. Primò, articulos fidei, decẽ præ-
cepta decalogi, orationem Dominicã.
Hęc enim scire omnes tenetur, qui vo-
lunt se & dici Christiani. Hęc est fides cordis, & con-
fessio oris Christiani, de qua Apostolus Romano. 10:
Corde creditur ad iustitiam, id est, remissionem pec-
catorum, & oris confessio fit ad salutem. Nam qui
me, (inquit Christus) confitetur coram hominibus,
Matthæi decim. no.

Secundò, oportet scire, quid sit sacramentum, &
quare accipitur. Primum habetur ex verbis Christi,
Matth. 26. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tra-
detur; id est, quod pro vobis mortuum est in cruce.
Hic est sanguis meus, qui effusus est pro remissione

s f

peccatõ-

peccatorum vestrorum. Est igitur sacramentum corpus & sanguis Christi pro nostris peccatis, remissionem & salutem traditum & effusum. Hoc scire & credere debent omnes communicaturi, scilicet iam in sacramento veraciter, non in signo, id est, figura, esse corpus & sanguinem Christi, sed sicuti ad dextram patris residet, Mar. vlti. Alterum, quare accipimus: quod et verbis Christi habetur, scilicet, Hoc facite in meam commemorationem, id est, in memoriam passionis meae, id est, quoties hoc sacramentum videtis aut sumitis, cogitate causam mortis meae, quae pro vestra salute facta est, Roman. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, &c. Ex qua memoria duo sequuntur: Primum: Gratiarum actio pro tanto beneficio tibi impenso: Secundum, inde, consolatio & confortatio conscientiae, ne desperes de salute in angustia peccatorum, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, nec semel accipimus remissionem hanc, sed quoties opus fuerit, redierimus per poenitentiam, Matt. 18. Et communicamus Eucharistiam, ubi iterum post lapsum tanquam membra capiti unimur & incorporamur, ne sathan nobis nocere possit, Nam eum habemus in nobis, qui maior est in mundo. i. Ioan. 4. Et sic sacramentum consolatur & confortat.

Tertio oportet etiam scire, quod mortem & damnationem in sacramento sumere possimus, qui indignè communicant, sicut docet Apostolus 1. Corin. 11. scilicet, quod multi mortui sunt, & infirmi, &c. Ideo iudicium sibi manducant, &c. id est, damnationem. Primum, qui in odio accedunt, & malo proposito, sicut Iudas, in quem post buccellam introiit sathan. Ioan. 13. Qui igitur nolunt dimittere offensam, malas diuitias, usura & dolo acquirunt, aut propositum habent malum, damnationem sumunt.

Quarto etiam scire debes, Quid in hostia accipimus nempe corpus & sanguinem Christi. Nam si est corpus

pas viuū, ergò nō sine sanguine. In calice autē purū
vinū, de quo tu bibis. At in calice sacerdotis in Mis-
sa, ibi est corpus & sanguis Christi ex concomitan-
tia. Ideò accede, sed pœnitentia cordis. Non sic di-
cendum est, volo accipere hic gratiam & remissio-
nem, sic credo. Quid pœnitentia? confessio? ieiuni-
um? &c. hic error iam mundi est, &c.

Si quis interroget, in quem finem sumis sacra-
mentum hoc? Respond. Ob tria, in memoriam meæ
redemptionis ab æterna morte: Secundò, quòd De-
us in me manet & ego in eo, & me conseruat à futu-
ro malo & peccatis. Tertio, vt gratias illi persoluam
pro redemptione mea.

DE FREQVENTICO M-
munione Eucharistia.

TITVLVS CII.

RIMò in actibus Apostolorum, Act. 2.
quòd Christiani & Apostoli erant per-
seuerantes, id est, continuabant in fracti-
one panis, & sæpius cõmunicarunt, &
Christus non præcipit, quòd semel & ite-
rùm in vita solùm comunicemus: sed
inquit, hoc facite, id est, quotiescunquè volueritis, si-
cut Apostolus I. Corinth. II. exponit, in meam memo-
riam facietis. Licet igitur comunicare quotiès &
quandò visum fuerit, id quod initio Ecclesię fecerūt
omnes Christiani: aliqui omni die, aliqui dominicis
diebus: aliqui in maioribus festiuitatibus &c. At
quandò incepit deuotio frigescere, accessit præcep-
tum Ecclesię, vt vel saltem semel in anno communi-
carent, & hoc in festo Paschatis, in qua solennitate
& à Christo fuit institutum sacramentū, id est in cœ-
na, vt testantur Euāgelistæ, Matt. 26. Luc. 22. Mar. 14.

Secundò, quòd veteres deuoti catholici sæpè com-
municarūt in anno, hæc fuit prima ratio: Cõsiderabāt
Sf 2 bellum